

raueris abstinere. Scandalizasti plurimos per peccata in publicum deducta. Si penitere vis, non sufficit cessare à peccato, per quod scandalum venit, si à specie mala, quæ inde secuta est (à qua apostolus abstinere præcipit 1. The. sal. 5.) non abstinens, verbi causa, Publi cum factum est, quia adulterasti, vis abstinere à coitu, sed adulteram non deseris colloquio, & similibus suspicionem generantibus. Aut quod peius est, concubinam in domo nutris, vnde proximum grauius scandalizans, non penites, quia præter hoc, quod adulterium virtualiter continuas, per scandalum, quod non deponis, continuo peccato mortali detineris, maximè si persona es altioris status (quæ vt Irido. lib. 3. sententiarum, cap. 5. ait) vitam subditorum facile exemplis suis vel edificent, vel subuertunt. Nam cum talis ruit in vitium, citò viam ostendit erroris. Vitiam semper illud memoraretur euangelicum, Qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis, qui in me credunt, expe dit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Et iterum, Væ illi, per quem scâ dalum venit. Reuera expediret taliter scandalizanti, vt demersus in profundum maris cum paucioribus peccatis damnaretur, quam sine intermissione scandalizando sibi penas intolerabiles, & perpetuas cumularet. Ideo nisi concubinam talem de habitatione eieceris, saltem voto citius eiiciendam, & factio penitentiam agere non potes, nec à quo cunque peccato absolui, quia non modo concubitus, sed cohabitatio cum scandalo proximi mortale peccatum est, quod non deseris. Et presertim in clericis, quibus hæc cohabitatio multipliciter prohibetur. Suo modo dealiis mediis scandalizantibus intelligendû, quod necesse est ea relinquere, per quæ scandalizarunt, quicunque voluerint penitere. Sic quicunque statum, vel officium habet, quod sine peccato exerceri non potest. dist. 16. lib. 4. sicut Grego. ait recognoscat se veram penitentiam agere non posse, nisi negocium relin-

quat, vel officium deserat. Attendant hoc qui iudeis de sola vltura viuentibus famulantur, domos locant &c. quæ statui suo non congruunt, duces cæci, iudices indocti, & ad officium, cui se in gesserunt, nõ idonei. Itaq; qui per odiû vel auaritiâ alium in persona, fama, rebus damnificant, vel bona alterius iniuste detinent, etsi odium mentis in actu desyderant, & diuitiarum concupiscentiam iniustam, nisi tamen damna restituant (quia manet odium, & auaritia virtualiter in eo, quod restituenda detinent) penitere non possunt. Verum de restitutione alibi videndum. Vt ergo tempus illud acceptabile dignè peragamus, studeamus à peccato cessare &c.

DOMINICA REMI-
niscere Sermo I. in ordi-
ne. XXVII.

MULIER Chanana à finibus
Millis egressa clamauit. Misere
mei fili David, filia mea à demo
nio vexatur Mat. 15.

Tempore nunc currenti sanctæ matris ecclesiæ euangelia coaptantur. Ingressi sumus pridem penitentia tempus, laborem penitentia vtrunque suscepimus, verè itaq; penitentia formam imitemur, in euangelio dominus nobis proponit in eo, quod nobis præferret exemplar mulieris Chananae de finibus Tyri, & Sidonis egressæ, p filia suæ male à demonio vexatæ liberatione fideliter, humiliter, & patienter Dei misericordiam exorantis & dicentis. Misere mei domine fili David, filia mea male à demonio vexatur. Rogatur a liquidem dominum, occurrit citius, facit, quod suum est, ciuitates gentiliû, & fines eorundem dimittit. Quo verè penitentia initium nobis ostendit, & à peccatis cessando, & à peccatorum occasionibus recedendo, quia non solum de Tyro, & Sidone, quæ peccata sonant, Tyrus enim tribulatio interpretatur, vel angustia. Sidon commortio iniquitatis.

Mulier
Chana-
nae verè
peniten-
tiæ for-
ma est.